



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

... numerare Lunam notat, quia per Lunas annos & menses veteres
numerarunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

bet, & libatis super eam. Lutherus, cum eam vocem se rectè redditurum desperaret, ita vertit: *Und schenket voll ein vom Trankopfer dem Meni*, quomodo & Hebræam vocem Leo Judas retinuit. Plures adhuc aliæ sunt diversæ sententiæ, quas colligere non est nostri otii, cum ex his abunde constet quam misere fatigaverit interpretes ad Meni. Nos, uti *Gad* esse *Solem*, quod optime animadvertit Anglicorum doctissimus Nicolaus Fullerus, Full Misc. l. 5. c. 17. multis argumentis possemus asserere, ita *Meni* putamus non nisi *Lunam* esse, quod à nemine scimus accurate demonstratum.

VIII. A מנר, quod *numerare* significat, hoc numen dictum מני, interpretes & lexicographi agnoscunt. Atque hinc natæ sunt eorum sententiæ, qui stellas intelligunt, vel planetas, vel Mercurium numerationis Deum. Quam facile fuisset intelligere Lunam, per quam veteres & annum & menses numerarunt? Solitos veteres per Lunas computare sua tempora, res est nota & quam plurimis animadvertsa. Juxta חמאירא פאסו. lunarem

suos menses numerare solitos olim Hebræos etiam docuerunt homines eruditi. Unde videre est non sine causa à למנוח , quod numerare notat, Lunam dictam esse מנוח . Quomodo & cum Arabico articulo *Al*, hodie vocare solemus *Almanah* calendarium, quasi observationem dicas omnium totius anni Lunarum, atque etiam mensis, qui secundum Lunæ cursum numeratur, apud Græcos μην dicitur.

IX. Id ex eo longe fiet verisimilius, si observemus hoc Lunæ nomen apud plerosque populos mansisse. Non hic dicimus de lingua Belgica, nobis vernacula, qua Lunam vocamus *Mane*, & mensem, qui secundum ejus cursum numerari solet, *een maand*: Id ipsum videre est in lingua Arabica, Græca, Latina. Vir cl. Edwardus Pocokius, ex Arabica lingua مَنِي *Meni* dijudicans, Idoli nomen esse vult, cui affine, si non plane idem, sit Arabum *Menath*, quod occurrit in Alcorano: *An non vidistis Allath & Alozza, & Menath*. Utique hoc verissimum putamus.

Pocok. in
Specim.
pag. 92.

Alcor.
pag. 57.